



**I**oannes natus est Vlmæ nobili Sueuorum me-  
 tropoli ex patritia familia, Anno salutis circiter  
 1512. Is cum fœlici indole esset insignis, à teneris  
 annis literis & uirtutibus incubuit, atque medio-  
 crem eruditionem nactus fuit. Postea uerò exte-  
 ras regiones inuisit, atq; uariarum rerum experien-  
 tia magnam sibi prudentiam comparauit. Vnde  
 in patriam reuersus in senatum cooptatur, atq; res  
 sibi commissas singulari industria exequitur. id  
 quod potissimùm anno millesimo quingentesi-  
 mo quinquagesimo secundo manifestatū est, cum  
 Germania uarijs intestinis bellis implicaretur. Ac-  
 cedebat etiam puræ religionis amor, atq; pacis stu-  
 dium. Has uirtutes cum Vlmensis celebris Respublica in Iohanne animad-  
 uertisset, eum Consulem elegit, atque patriæ gubernacula commisit. Eam  
 functionem is modesto animo suscepit, & tanta integritate administrauit,  
 ut omnibus bonis esset gratissimus. Hoc genere uitæ is etiamnum pergit, &  
 multis animi & corporis uirtutibus ornatus reliquis ciuibus exemplo exi-  
 stit, ut meritò hoc loco inter illustres Germaniæ Heroas recenseatur. A-  
 nonymos.